


FRANCISCUS POZZI

NOVARIENSIS

NOB. DE CACCIIS COLLEGII ALUMNUS

AD

JURIS UTRIUSQUE PROLYSIN

in Regio Taurinensi Athenaeo

Anno 1825 die 20 junii hora 5 cum dodr. pom.

AUGUSTAE TAURINORUM

IN REGIO TYPOGRAPHAEO

DE PRAEBENDIS, ET DIGNITATIBUS

I.

Quamvis plures in aliqua Ecclesia beneficiarii sint, quorum aliis alii subiiciantur, non ideo tamen Collegiale dicendum est beneficium.

II.

In materia odiosa beneficiorum simplicium nomine non comprehenduntur Canonicatus.

III.

Saeculare ex fundatoris voluntate praesumendum beneficium est, cui non sit adnexum officium monasticum.

IV.

Si Beneficiarius sit litterarum omnino ignarus, irrita ipso jure est collatio; sententia autem judicis qua col-

latio rescindatur necessaria est, si non sufficiens quidem, sed qualis scientia in beneficiario reperiatur.

V.

Si dubitetur an resideat penes Collegium cura animarum habitualis concursui in dubio subjicienda est Vicaria perpetua.

VI.

Jus patronatus laicale in Ecclesiam etiam gratuito titulo translatum fit Ecclesiasticum.

VII.

Si plures ad fundandum beneficium concurrant etiam partibus inaequalibus jus patronatus omnibus in solidum competit.

VIII.

Jus patronatus reale illi etiam competit, qui solum habet dominium utile.

IX.

Ad perficiendam praesentationem tres requiruntur personae, praesentantis videlicet, praesentati, atque collatoris, cui quis praesentatur.

X.

Collator tenetur Clericum indemnem praestare, quem ipse sine justa causa noluerit instituere, quique appellaverit; si pendente appellatione alter praesentatus sit, et institutus.

DE JURE DOTIUM

I.

Excepto mulieris patre, cui peculiaris suffragatur reverentiae ratio, illud quod competentiae vocant beneficium dotanti non conceditur, quo se contra maritum dotem petentem tueatur.

II.

Pater, qui alio dotem promittente fidejusserit, non ut parens, nec paternae pietatis officio motus, sed quasi fidejussor dotem dedisse intelligitur; licet ergo quod dotis nomine solvit pater, a reo facultatibus lapso servare nequeat, non tamen profectitia dos haberi poterit.

III.

Nulla dotis promissione interposita nihil est, quod maritus eo nomine petere ab uxore possit, atque haec omnia bona sua paraphernorum jure habebit.

IV.

Ut pater filiae, ita avus propter filium nepti dotem dare debet.

V.

Quamvis filia locuples sit, ea tamen de causa a dotis paterno officio debita petitione non est submovenda.

VI.

Quae foemina honeste pro sua conditione nupsit Regia lege vigente, qua cavetur pro congrua habendam esse dotem, quantulacumque ea demum sit, qua constituta honeste nupserit, accepta dote contenta sit oportet, nec habet de quo juste conqueratur.

VII.

Pater, qui non adjecta matris persona, sed solus dotem promiserit, clausulam vero promissioni adjecerit, qua professus sit se partim ex suis, partim ex maternis, aut filiae bonis constitutam dotem dare velle, integram nihilominus ex propriis bonis praestare compellitur non secus ac si dotem pure, ac simpliciter promisisset, ubi id ferat constitutae dotis modus cum paternis facultatibus comparatus, ita ut ex maternis aut filiae bonis ea tantum dotis pars suppleri debeat, quam ferre nequeant paterni patrimonii vires, aut quae justum congruae dotis modum superet.

VIII.

Non valet pactum constitutae doti adjectum, quo placuerit, ne ob res donatas ageretur.

IX.

Qui dotem constituit, nec tamen ex eorum numero est, quibus id praeter communis juris regulas indulgetur, ut alteri stipulari valeant, eum adhibeat stipulatorem oportet, cui dotis restitutionem fieri cupiat.

X.

Ubi animo donationis inter vivos perficiendae, alterum dotans stipulatorem adhibuerit, cui dotis restitutio fieret, nisi qua supervenerit revocandae donationis causa, a priore voluntate discedere non poterit: casum tamen excipe, quo haec fuerit expressa conditio, sub qua, qui adhibitus fuerat stipulationis gratia, scriptus haeres a dotante proponatur.

V. Tosi R. A.

V. Cravosio P. ac R.
V. Bonissani a Consiliis.
V. Sac. Dompè a Consiliis.

V. Imprimatur:
INCISA.